



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De morte adolescentis laici, cum quo a[n]geli, cùm moreretur,
loquebantur, cap. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

EA tempestate, venit ad cōuersionem adolescēs laicus, mundi corruptelam incorruptus euadens, carnis integritate seruata, quod est magnum diuinæ miserationis beneficium. Hic cum se capitulo præsentasset, consequenter languore correptus inunctus est: quo inuncto, alius defunctus est, cuius exequijs cum vniuersi interessent, infirmis interim sine custode relictis, audiuit adolescēs ille choros angelorum, obsequia funeris agentium, & suauitate psallentium magnificè delectatus est. Insuper quidam ex ipsis præsentialiter astiterunt ei, & allocuti sunt, dicentes: Amice, tu quid dicis? Placet ne tibi hac

Philip. 1.

vice venire ad nos? Et ille: Vehementer cupio dissolui, & esse cum Christo. Et angeli: Esto paratus, expletis præsentibus exequijs, statim nobiscum ibis. Ille promissi haud dubius superni, futurorum gaudiorum primitias iam corde præsenties, lætus & hians, redeuntē infirmario rem pandit per ordinem, & adiecit: Sternite mattam, & pulsate tabulam, & quæ preparanda sunt parate celerius, iam enim iturus sum ad Dominum. Quod ita factum est. Porro quidam infirmus proximus iacebat ei, & quasi contiguus, tenui tantum pariete diuisus ab ipso, qui audiuit angelos cum eo loquentes, qui adhuc superest testis fidelis, cuius testimonio fidem facit vita laudabilis.

CAPVT VI.

ERat in eadem domo, Claustro scilicet, laicus Conuersus, nomine Obertus, vir moribus ornatus, & actione circumspectus, a primis adolescentiæ annis deseruiēs in ordine, ad omne iuuentis imperiū hilaris & promptus. Hic annis circiter triginta, cum fratribus infirmis tam deuotum quam sedulum exhibuisset obsequium, ipse quoque diuersa corporis inæqualitate correptus est, & in magnis laboribus superueniens, annis quasi viginti, longum trahebat martyriū. Veruntamē, licet corpore inualidus, animi prouidentia non deerat fratrum necessitatibus, prudenter disponēs omnia. Tandē oborte mortalitatis